



70

angeb. 9

DE
VARIIS CAUSSIS
INFANTICIDIORVM

DISPUTATIO
QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRO
S V M M I S
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

D. XVI. NOV. A. C. N. CIDI CCCLXIX,

DEFENDIT

IOHANN. IAC. HENR. HERRMANN A. M.

VORSFELDA . BRVNSVICENSIS

I. V. CANDID. ET ADVOCATVS IMMATR. SAX.

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

VARIIS CASSIS
IN INFAITICIDIORVM

DISPUTATIO

DE ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO EPISCOPO
CONRADO

CONRADO

1700

S V M M I S

IN VITROQUE JURE HONORIBVS

CONRADO

D. K. A. S. A. C. H. C. I. O. C. C. E. X. I. X.

IN VITROQUE

IOHANNI JACOBO HERRMANNI A. M.

VORLESUNG

IN VITROQUE JURE HONORIBVS

LIPSIÆ

IN VITROQUE JURE HONORIBVS



DE
VARIIS CAUSSIS
INFANTICIDIORVM.



ui deliquerunt, ii non modo si damnum datum reparare non possunt, verum etiam cum possunt, atque adeo cum id reparant quoque, nihilominus a ciuitate hanc ob causam recte puniri solent, vt caeterorum improbitas metu constricta, desistat a malefaciendo. Sed tamen videas, non semper apud omnes metum poenarum id posse, vt nocendi animum abiiciant. Alios occaecauit libido: alios praecipites egit ira: quosdam spes impunitatis, orta vel ex opibus, vel ex alia quacunque causa, illexit. Porro autem, id quod minime dissimulandum est, etiam ipsarum legum vitio, non consentaneas poenas dicentium, fieri aliquando potest, vt aut grauius aliquis malit quam leuius peccare, aut vno minore crimine admissio, alterius maioris poenam contrahere potius, quam non illius vitare.

Ita vbi spoliatio similiter vt caedes morte punitur, ibi mirandum non est, latrones viatoribus praeter caetera omnia

quae secum habeant, etiam vitam eripere. Nam cum inter praedam eruentam et incruentam nullum sit poenae discrimen legibus aut moribus constitutum: nihil est quod latronem prohibeat amplecti modum et facinoris obeundi expeditiorem, et aduersus indicia tutiorem. De muliere non maritata grauida facta si lex eam poenam sumit, quae turpitudinem lapsus naturalem ciuili augeat: nempe mulier paullo magis pudore confusa, nisi alio modo sibi consulere poterit, aut abigendum foetum, aut interficiendum partum esse facile statuet.

Interest igitur ciuitatis, eam primum sapienter in ipsis poenis et recte singulis metiendis, et proportione omnibus definiendis versari; deinde autem illud efficere, vt salutis communis praesidium habeat collocatum, praeterquam in poenis, etiam in iis rationibus, quibus fiat, vt et pauciores metu poenarum terrendi sint, et qui terrendi sunt, magis terreantur, et qui minus terrentur, minus facile occasionem delinquendi habeant: vt in ciuium castitate, humanitate, libertate; in rerum commoditatibus et ad viuendum, et ad agendum; in iuris fruendi aequitate, impetrandi facilitate, dicundi seueritate; in publicarum viarum et itinerum omnium aliorum custodia multiplici et varia. Quod ad hanc rationem quam postremo loco dixi, attinet, complures eius modos ingeniose a veteribus excogitados, et hodie vbique vsurpari dignos, retulit in Observationibus Iuris magnus ille Cuiacius. (XIX, II.)

Forfitan etiam satius fuerit, quasdam actiones plane pro delictis non haberi, vt stupra virginibus aut viduis non inuitis oblata.

Superiore aestate fuit hic Lipsiae mulier infanticida gladio punita. Subiit nos cogitatio, quot infanticidia variis

niis minus manifestis modis commissa, nulli poenae subessent. Deinde cum infanticidiorum omnis generis causas inquisivissemus, intelleximus, et quomodo ipsa poena posset interdum causam parere novi maleficii, et quanto plus ad rem publicam tuendam et amplificandam valerent instituta, quam leges. Magnae voluptati nobis fuit, quod forte nacti libellam Sonnenfelsianam, *praecepta complexum disciplinae civilis et rei aerae*, *) locis huc pertinentibus inspectis, nihil fere deprehendimus, quod non cum sententia nostra conveniret. Quae cum esset paullo tamen plenior, faciendum putavimus, ut eam litteris consignatam proponeremus. Hoc argumentum erit huius descriptionis.



Primam causam ponemus eam, quae mulierem illam infelicem adduxit, ut partum suum interimeret, *paupertatem*. Omnino plebecula, quae maximam partem constituit populi, est indigentior. Liberos educatio non est leve onus. Mulieres caelibes ex hoc genere, quae aut ancillando, aut alioqui opere faciendo victum quaerunt, vix possunt ferre sumtum educandi foetus, quem ex stupro conceptum pepererunt. Stuprator moribus hodiernis damnatus est aut ducere, aut dotare stupratam. Si stuprator ipse quoque conditionis eiusdem est, non potest illam neque dotare, neque ducere. Nam dotem unde sumat, aut quomodo et uxorem et liberos alat, qui suarum ipse rerum satagit? Nonnunquam etiam fieri solet, ut mulier eum a quo supra-

A 3

stupra-

*) *Sätze aus der Polizey-Handlungs- und Finanz-Wissenschaft.* Vindobonae, 1765. Sed prodiit iam

altera editio auctior, quam non vidimus.

stuprata est, nullo modo velit maritum habere. Praeterea ne partum quidem suo sumtu stuprator cogitur educare, si vnus gregariorum sit ex ordine militari. Et constat, non discedere hoc genus Martium a patroni sui moribus etiam in hoc, vt libenter ac frequenter satis furta Venerea committant. Infelix illa mulier partum quem necauit, ex militis compressu conceperat. Sed ponamus talem stupratorem, a quo etsi nihil aliud, at prolis educatio exigi possit. Nempe mulier puerperio cubans, nullos facit sumtus: non interrumpitur eius opera, quam alendi sui causa locauit: nulla ei pecuniaria poena irrogatur; aut si carceris, non haec illi quae prohibeatur a victu quaerendo, pro pecuniaria est. Itaque nisi aut abigendo, aut necando, aut exponendo partu sibi consulunt, eo denique haud paucae labuntur, vt quoniam prolis causa plus erogare debent, quam ancillariae aut operariae mercedis accipiunt, vel negligentia educationis prolem perire sinant, vel etiam quaestuariae fiant, aut alioqui facile aliquo paruo munusculo persuasae, concubitum petenti sui copiam faciant. Iam hoc satis maiorum est. Sed vbi contigit, vt iterum praegnantem factae sint: quae tum illarum acerba conditio! Vnum partum quae satis aegre alant, duobus alimenta praebere poterunt? Instabit ergo alteri foetui fatum, a quo primum defendebat matris pietas, nondum ad tam saeuam necessitatem redactae. Illa infelix mulier quam saepius dixi, quae parentes adhuc habebat, sed paganos egentes, et vitam opere rustico tolerabat, non occidit primum partum, immo ne alterum quidem: sed tertio puerperio in hunc est furorem impulsa.

Huc adde magnitudinem pretii, quo nonnullis in locis miserae mulieri vel solum puerperium constat: iudiciorum quorundam paganorum crudelem et minime sapientem sapientiam, peregrinitatis praetextu vetantium stupratam parere

rere

rere in loco suae iurisdictionis: difficultates in recipiendis miseris in domos eas, quae vnum illis perfugium relictum erant. Nota est nobis mulier, quae hic seruiuit in familiis aliquot non obscuris, et adhuc seruit, cui puerperium suum et bidui commoratio apud obstetricem constitit duodeuiginti thaleris: quanta summa pro captu ancillae! Item aliam mulierem noueramus, quae in domo certa Lipsiensi nutrix fuerat, quae iterum grauida facta, cum in pago non ita procul hinc sito, apud matrem suam quae illuc ex vicino migrarat, parere vellet, ab eius loci magistratu prohibita ibi commorari, vagabunda Lipsiam rursus delata, in suburbio alicubi ope duarum anicularum partu excluso, aegrotata et omnium rerum egens, ab istis aniculis quae sibi negotium et damnum contrahi nollent, in via quae circum urbem est, versus Nosocomium deducta, et confidere in aliquo saxo iussa, postquam infantem ei dederunt, curae ciuitatis relicta est. Quae res dum indicatur, dum aliquis missus venit, erogat, et audit, et audita scripto mandans notat, et imperium accepturus abit, et accepto redit: mulier deficientibus magis ac magis viribus, in Valetudinarium vix perducta, exspirauit. Hoc ita vt diximus, accidit mense Maio huius anni.

Sin autem stuprator est melioris fortunae quam stuprata: dotabit illam non pro sua, sed pro mulieris conditione. Quo fit, praesertim in urbibus paullo amplioribus, vt mulier secum facile transigi patiatur: ne scilicet iure agens, ipsa quoque legis mulctam subire necesse habeat. Vt igitur hoc in casu paupertas nonnihil subleuta, non suadeat caedem infantis: at quia puerperium clandestinum quaeritur, expositus erit et nascens, et natus infans, cuius vitam reipublicae prouidentia tueri debebat, multis illis obscuris periculis quae infra suo loco memorabimus. Nam etsi stupratam praegnantem lex alicubi, vt apud Francogallos, magna

gna

gna proposita poena iubet ipsam indicium eius rei deferre: tamen illa neque cauere omnia puerperia clandestina potest, et vt ostendetur mox, infanticidiis pluribus causam praebet.

Neque vero putandum est, solis ex stupro genitis liberis vitae periculum esse a matrum paupertate propositum. Etiam coniuges in re tenui et angusta constituti, et nimio iam liberorum numero aucti, stimulante inopia certe ad id facile concitari possunt, vt aut originem futuri hominis extinguant, parricidio facto antequam partus exierit; aut editum, vt fieri testatur Sonnenfelsius, (§ 145.) proiiciant; aut quod saepius fieri credimus, adeo negligenter curent, vt interitus eius necessario consequi debeat. Non videtur genus hoc infanticidii mala tractatione commissi, esse a ciuitatum rectoribus animaduersione dignum habitum: fortasse quod in singulis factis propter causarum obscuritatem nihil posset liquido iudicari. Sed nimirum quaecumque peccata ob quascumque causas minus puniri possunt, quae tamen ciuitatis interfit non committi, ea ne committantur, aliis rationibus est praecauendum.



Altera infanticidiorum causa, est *ignomina*, cuius labem subeunt innuptae quas peperisse innotuit. Duplex haec ignominia est, et ciuilis, et naturalis. De ciuili nihil dicemus, quam plane tollendam esse apparebit, si ostenderimus, naturalem iam cuius delicti puellae tantam videri posse, vt eius vitandae causa partum, quem ipsi aliter celare difficile fit, aut abigere, aut abiicere, aut necare sollicitetur, vel etiam audeat. Nam huic malo ita occurri debet, vt minuantur eius causae, non vt augeantur. Est autem naturalis ignominia quam dicimus, in eo posita, quod
cui

cum in omni societate hominum ex incultis moribus egres-
 forum, in aliquam virtutis puellaris existimationem veniat
 marito seruata virginitas, quae mulier ante nuptias huius
 florem amisit, eam nullus vir alius, nisi forte qui sit mul-
 tum inferioris conditionis, vxorem sibi ducendam putat.
 Iam si quis nouit, et quantum placendi studium, et quan-
 tam animi sensuumque teneritudinem sexui muliebri natu-
 ra largita sit: is intelliget facile, neque acerbius quidquam
 accidere mulieri posse, quam fastidiendam videri; et ean-
 dem sagacissimam esse in iis omnibus quasi odorandis, et
 quibus virili sexui placere queat, et quibus viri vlllo modo
 suum ipsius fastidium arguant. Ergo etiamsi mulier ideo
 tantum castitatis et pudicitiae laudem appetat, vt ipsam vi-
 ri tanto magis appetant: verum erit, quod Spectator mo-
 rum Britanniae iudicauit, si de muliere non quacunque,
 sed virgine maritum sperante accipias, nihil mulieris ani-
 mum grauius laedere, quam vbi videat se impudicam exi-
 stimari. Perdita enim castitatis existimatione, virgo etiam
 spem, quam vnam carissimam habebat, perdidit, placendi
 futuro marito quali maxime vellet. Quocirca minime de-
 bet mirum videri, puellas in discrimen tanti boni amitten-
 di coniectas, eius conseruandi causa malle facinus audere:
 praesertim cum, vt obseruare licet, obseruauitque acutis-
 simus philosophus Immanuel Kantus, et in disertissimo li-
 bello *de sensu eius quod pulcrum et quod magnum est*, retu-
 lit, (*pag. 55. et seq.*) animus puellaris malas actiones auerse-
 tur, non quod sint malae, sed quod habeant odiosam
 speciem deformitatis. Nam et facinus admissum, latitu-
 rum sperant, et eo non admissio, turpem existimationem
 sibi metuunt.

At nihil puellae nocebit, aliquis inquiet, periisse ipsius
 castitatis existimationem, stupratore illam vxorem ducente.

B

Pri-

Primum, non cogitur ducere vxorem illam stuprator, si malit dotare. Deinde nec semper fit, vt ipsa eius marita esse dignetur, a quo se incautam repentino libidinis aestu abreptam, stuprari est passa. Tum ne si velint quidem vterque coniugio sociari, et vir, et mulier, mulieris parentes in id semper consentient. Denique vt nec dubitet mulier, se parentum consensu viro nupturam esse: abterrore illam poterit ignominiae metus, cadentis in ipsam ex contracta poena ciuili.

Quid lege illa de qua diximus, quae stupratam iubet ipsam indicare se praegnantem esse, boni efficitur? Sane quidem non est incredibile, mulieres eas quae foetu abigi non quito, vllam ob causam diffidant posse clam parere, moueri vt iudicium sui publice faciant. At neque illud profecto incredibile videtur esse, mulieres eas quae clam pariendi facultatem habiturae fuissent, experturas conceptum abigere potius, et quae clam educandi, necaturas potius esse quod natum fuerit, vt occultius lateant. Plus igitur lex ista nocet, quam iuuat, recteque a Sonnenfelsio (S. 143.) est inutilis iudicata.

Idem non putat, (*ibid.*) quod nouus quidam suorum legislator praecepisset, magna constituta in immorigeros poena, vt mulier stuprata praegnans, alii honestae mulieri se indicaret, apud eamque pareret, vtque mulier haec ad quam altera illa confugisset, rem arcanam optima fide celaret: non putat, inquam, Sonnenfelsius, eo satis adhuc aut embryonibus conceptis, aut infantibus natis prospectum esse. Pudor, inquit, non tamen plane cessat: in aliena fide ne non frustra ponatur fiducia, metuitur: is denique potest esse caussarum concursus, qui spem clandestini puerperii omnem eripiat.

Morum

❧ ❧ ❧

Morum crudelitatem non dixerim causam esse, quae matrem ullam impellat fieri parricidam. In Itinerario Missippiano legas relatum, nullam barbaram solitam esse partum occidere, quem ex stupro conceptum enixa sit. Haud mirum. Nulla ob eam rem ignominia se mulier apud suos deformat: immo etiam apud nonnullas gentes Americanas hanc legere me alicubi meminisse esse consuetudinem, ut ea maxime mulier a viris vxor expetatur, quam plurimorum amatorum concubitus nobilitauerint. Porro autem expeditissima est apud illas ratio liberorum educandorum, nemine aliis rebus indigente, nisi ad famem sedandam et corpus tegendum necessariis, et numero paucis illis, et paratu facilibus. Ergo si nulla mulier tam barbara est, quae foetum suum non diligat: quis putet mulierem apud nos ullam esse tanta imbutam crudelitate, ut parricidium ausura esset, nullis aut inopiae stimulis, aut infamiae terroribus efferata? Nam quod antiquis temporibus Graeci et Romani quos liberos alere nolent, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarunt: in moribus virorum haec immanitas fuit, non mulierum. Quod si tamen fiat, ut aliqua mulier sine vlla furoris causa meram crudelitatem in partu necando exerceat: sufferat poenam scelere dignam, quae sola reliqua erat correctio.

❧ ❧ ❧

Libidinem posse causam esse, quare mulier intemperantior non modo caueat, ne compleatur, sed etiam concepti foetus abactum procuret, veterum poetarum lectione docti, monemus.

❧ ❧ ❧

Etiam nullo matris facto intercedente, ob duas omnino causas vteri fructus perire potest, infanticidii culpam

aliquam sustinente ciuitate, ad cuius disciplinam pertinebat, vt istae caussae cessarent.

Prima est, si mulierem grauidam in loco publico ambulantem, *res nimis vel taedioſa, vel terribilis conſpecta*, horrore perfundat, qui partum efficiat aut abortiuum, aut monſtroſum. Vt si homines quorum est ob vllum corporis vitium foeda deformitas, non prohibentur, quo minus mendicantes loca publica vel celebres vias obſeſſas teneant. Damnat etiam Sonnenfelsius (§. 146.) conſuetudinem paſſim apud Catholicos vſitatam, circumſiſionis laruarum formidoſarum per vrbem, vt Nicolaorum quos dicunt, et aliarum talium perſonarum.



Altera grauior et latius patens est caussa, *obſetricum vel imperitia, vel inhabile ingenium et corpus, vel negligentia, vel ſuperſtitio, vel in locis paganis penuria*. Horreſcas, legens Medicorum quorundam ſcripta de obſetricum erroribus et facinoribus, et frequentibus illis, et ingentibus, nec tantum partui, ſed etiam feminae parturienti funeſtis. Videmur non debere hoc loco praeterire commemorationem libelli quem de obſetricum erroribus edidit, et publica diſputatione defendit Lipſiae anno 1729. Caſpar Boſius, qui pleroſque iſtos errores etiam Lipſienſibus obſetricibus non diſſimulanter obiecit. Exempli caussa nonnullos referemus. Embryonem immaturum non raro habent pro foetu maturo, et ad partum citius impellunt: ruruſus maturum foetum in prauo ſitu conſtitutum, in moliminae ſuo turbant, eique moras diuturnas iniiciunt. Neſciunt, quando abortum praecauere, quando non remorari oporteat. Veros dolores a ſpuriis diſcernere aut non ſatis norunt, aut flagitiouſe negligunt. Manus haud ſatis exercitatae, nec arte vlla formatae, dirigunt
 praue.

prae. Hoc amplius, manus quasi corneas habent, digitos crassos, unguis praeduros et irrefectos. Velut Harpyiae quaedam, inquit aliquis Medicus, positae in primo vitae infantum limine, statim in eos matresque incursant, et aut illos occidunt, aut utrosque ita male tractant, ut iis diu postea misere viuendum sit. Hinc tot gibbosi, tot varie distenti, distracti, distorti, tot querelae mulierum. Lentilius refert in vrbe sua vix mille alente ciues, ultra ducentas mulieres viuere, ex partu difficili laesas, et ad generandum redditas ineptas. Quod pessimum est, obstetricum vulgo stupor tantus est, ut incapaces melioris doctrinae sint, earumque in retinendis erroribus contumacia vix vlllo pacto frangi queat. Sed age causas videamus, quibus fit, ut non melioribus et pluribus ciuitas obstetricibus vtatur.

Primum aut non instituuntur, aut vbi doctores et praecipuos iis dati sunt, non docentur neque priusquam artem hanc, vitae ac necis potestate pollentem, exercent, neque omnino satis ad vsum, vel quia vnus tantum per septenos dies horae tempus huic rei constitutum est, vel quia ne has quidem scholas aut frequentant, aut magni faciunt.

Deinde mulieres non quae ingenii celeritate, corporis agilitate, digitorum gracilitate praesent, ex omnibus delectae capiuntur, quae Medicis traditae atque obstetricibus adiunctae, diu antequam artem experiantur, et discant, et spectent: sed quaecumque se obtulerint, modo ne Iudaeae vel Turcae sint, et ut in examine haud ita difficili mediocriter stare queant, eae citra fastidium sumuntur, et aut parum, aut nulla prorsus doctrina eruditae, arduo et maximae potestatis officio praeficiuntur. Et quia nullum pro

sua tanta grauitate habet ista prouincia emolumentum neque dignitatis ciuilis, neque vtilitatis priuatae: nulla fere alia mulier operam suam offert, nisi ex eo genere hominum, vbi raro inuenias aliquem ingenio faciliori, animo superstitione minus oppresso, corpore, manu, digitis agilioribus ac gracilioribus, ea denique prudentia, quam in obstetrice medici volunt, vt morès pro vsus necessitate variare, atque ad cuiusque naturam accommodare sciat.

Porro quia non ea salaria obstetricibus constituta sunt, vt ministeria praestare gratuita omnibus debeant: fit, vt pauperioribus mulierculis minus diligenter adsint, et alius ditioris mulieris puerperio instante, illarum partus accelerare studeant, ne ditior haec aliam obstetricem arcessi iubeat. Non est satis, iureiurando illas adstringi, vt hoc non facere debeant: si velis eas iusiurandum bona fide seruare, curandum est, vt etiam possint ac libenter velint,

Praeterea cum obstetricum superstitosae rationes omnes vel ideo prohibendae sint, vt plebs humilior ipsa tandem illas relinquere audeat in alendis tractandisque infantibus, quibus ita miserum in modum saepe nutrices vel matres consulunt, obstetricum consilio confirmatae: negligitur is modus, qui vnus Lentilii iudicio et nostro, princeps est et huic malo medendi, et alios item complures obstetricios errores corrigendi, vt mulieres viuido et capaci ingenio, quae scilicet habeant etiam reliquas dotes quas diximus, absoluta domestica disciplina, publicis impensis peregrinari, et variarum gentium obstetricibus aliquamdiu operam dare iubeantur. Nihil enim potentius est ad mentes opinionibus falsis liberandas, quam deprehendere alibi aliis homines occupatos teneri.

Denique penuria obstetricum in singulis pagis oritur ex eo, quod nisi accipiant aliquod salarium, obstetricando

do

do mereri sibi non possint, unde viuanti. Num ergo fieri non potest, vt salarium iis a ciuitate praebatur? Difficultas hic nulla est, inquit Sonnenfelsius: (S. 156.) nam salaria ex aerario decerni, et rursus tributo in singulas familias confecto redigi possunt. Aut fiscus, inquit, sumtum hanc feret: nulla impensa utilius fit, quam in tot homines conseruandos, qui in pagis inopia auxilii obstetricii intereunt.

Expositis omnibus caussis infanticidiorum, facile iudicari poterit, quam legum rationem et quae instituta esse oporteat, vt efficacissime impediatur.

Nullus infans paupertatem parentum luet, si brephotrophae instituuntur, quae recipiant et gratis, et facile, infantes qui offerantur. Nemo enim qui suos ipse liberos alere queat, eos illuc obtulerit. Et sicubi fiat, vt infans expositus reperiatur, qui eum reperit, sine dubio sponte sublatum offeret, si sciat sine difficultate acceptum iri. Nec frustra sumtus fiet: erunt isti homines reipublicae serui, qui redimi non poterunt, nisi reddita impensa in ipsos facta.

Nullus porro infans morte sua impunitati vel honori matris consulere debebit, si et stupri poena tollatur, et passim in terris domus constituentur, in quas confugere mulier stuprata praegnans, et ibi clam parere queat. Primus, quantum nobis constat, huiusmodi domibus opus esse aut vidit, aut professus est, qui de iis in libro qui inscriptus est *Humanitatis Amicus*, *) ita egit, vt eas defenderet, earumque rationem explicaret. Huic assentitur plane Sonnenfelsius (S. 142.)

Libi-

*) *Der Menschenfreund* Edit. Sec. Vol. Sec.

Libidini obuiam itur, si mores inducantur sobrii et casti. Sed hoc non legibus obtinetur, verum sapientibus institutis: quale fuerit, quo in Francogallis alicubi vtuntur, diem annum festum agentes, quo virgini quae castissima omnium eo anno iudicata est, magnis honoribus coronam ex rosis nexam imponunt. Ex quo tempore illic floruit hoc institutum, florere autem dicitur iam inde ab antiquissimis temporibus, negant vnquam flagitium vllum auditum fuisse. Hoc institutum in suo praedio coepit hoc anno imitari Kettelhodus, qui Rudolphopoli est primarius Principis amicus. Nihil autem proficient optima quaeque instituta, nisi accedant exempla eorum, a quibus caeteri omnes discere solent.

Vt abortiones praecaueantur, interdendum est sub graui poena, et iis qui medicamenta et herbas vendunt, ne quid tale quod isti vsui seruire queat, sine medici auctoritate vendant; et chirurgis ac tonsoribus, ne vlli feminae ipsius iussu, medico non praecipiente, venam secare audeant.

Reliqua omnia cum per se intelligantur, hoc vnum addemus: prodesse mulieribus grauidis ad faciliorem partum, desidiae se non dedisse: ideoque Aristotelis consilio esse vtendum, suadentis vt legum scriptor illis quotidianum aliquod iter iniungat ac mandet.



Libi-

